


~~M. VI. 19.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
IV.  
B. 47.  
SIGNAT. CLVCCCXIII.





UNGAR.

FRG.

SIGNA I. CCCCXIII,

ELEGANTIA  
RVM LATINI SER-  
MONIS PRÆCEPTIONES

*In quos in gratiam studiosæ iuuentutis colle-  
ctæ, cum Ciceronianis tum aliorum bonorum  
authorum exemplis, illustratæ, omnibus in-  
corrupte propriissimæq; latinitatis  
cupidis vtilis & necess-  
sarie.*

AUCTORE.

M. GEORGIO VOGEL-  
MANNO.

*Legisse iuuerit.*

*Quintilia. lib. 10.*

*Curandum est vt quam optimè dicamus.*

MAGDEBURGI

Apud Iohannem Francum Bibliop-  
olam extant.

ANNO 1599.



1  
AMPLISSIMIS  
VIRIS PRVDENTIA,  
ERVDITIGNE, PIETATE,  
Præstantibus Consulibus, & toti or-  
dini Senatorio celeberrimæ Reipub,  
Mamelenſis, adeoq; ciuibus omnibus  
eiusdem que Eccleſiæ, & Scholæ  
dominis & patronis ſuis  
perpetuo colendis.

S.

**R**cepturo de re quacunque bre-  
uitatis ſtudium commendat Ho-  
ratiuſ in his verſibus:

Quicquid præcipies eſto breuis, vt cito  
dicta

Percipiant animi dociles, teneantq; fide-  
les.

Et rectè quidem ille. Etenim extra omnè  
dubitationis aleam poſitum eſt omnes omnium  
artium Præceptiones, Præſertim Gramma-  
tica, ſua natura quiddam ſubamarum &  
auſterum in ſe continere. Quamobrem

A

2

omnibus

omnibus industriis nervis in id incumbendum erit, ut hoc mali, quantum fieri potest, per spicuitate iuxta ac breuitate leniatur, sanetur, tollatur. Præclarè itaq; de literarum studijs merentur, qui prolixos Grammaticorum Commentarios in epitomas redigunt, quippe quæ cum breuitate lucis afferant plurimum, tam vero efficiant, ut rebus multo utilissimis puerorum animi, à primis statim annis imbuantur & ornentur. Quæ mihi quoque causa fuit, cur elegantissimas quasdam verèq; aureas elegantias ex Valla, Adriano Cardinale, Francisco Syluio & alijs excerptas collegerim, non omnes illas quidem possent enim multo plures colligi, sed maxime illustres & insignes ob oculos posui, quò eas pueri in conspectu habeant, imitariq; facilius possint, quibus sane puerorum studia adiutum iri confido. Latius enim diffusa sunt apud illos authores elegantiarum precepta, quam ut breuiter cognosci possint. Quid? quod non pauca apud Vallam ac alios reperio impedita, perplexa, obscura, quæ tantum abest, ut percipere queant ii, qui sine

coritæ



~~cortice natare etiamnum~~ non didicerunt, ut  
 etiam adultiores facti cogantur primum di-  
 scere, quae iam tum scire & alios docere  
 oportebat. Iam vero nihil addubitaverim,  
 quoniam omnes pedibus in hanc sint ituri senten-  
 tiam, pueris ~~in~~ in cultu ac barbaro sermone  
 aeque ac polito, ornatōq; addiscendo sudan-  
 dam esse. Quae igitur, malum, insania est,  
 pueros non simul atq; prima grammatices  
 elementa perceperit, cogere, ut vel optimo  
 dicendi generi assuescant? id quod si facerent  
 atq; utinā facerent, praecipuos plerique, usu  
 veniret, ut quae nunc multis difficilia viden-  
 tur, ipsis quodammodo in naturae conditionē  
 transirent. Sed de his alio loco fortasse pro-  
 lixius sermocinabimur. Caterum si quis est qui  
 usq; ad aë lioris ac invidis aculeos in me  
 erexerit, ut temperare sibi etiamnum non  
 possit, quoniam et hunc laborem utpote puerilem  
 lucubrationis huius fugillet, is sciat nos pue-  
 ris haec scribere non magnis illis admirandis,  
 qui fortassis in concilio deorum fuerunt,  
 quosq; Minerva artes edocuit omnes. Hos  
 ut quiescant porro moneo, suaq; proprie

personæ rationem habeant iubeo, malefacta  
 ne noscant sua. Satius mihi esse putem, ac  
 Christiano homine dignius lucubratiuncula  
 quantumcunq; exigua iuuare propensam ad  
 bonas literas iuuentutem, quam maledico  
 carmine proximum, & eum quidem inno-  
 centem, ledere, traducere conspurcare.  
 Quod si laborarem de fama nostra in hac  
 parte poteramus exemplo maximorum viro-  
 rum tuevi laboreni nostrum. Sed quid ego  
 horam refutationi insisto, quorum iudicia  
 tantum curo, quantum, ~~Aut numerum lupus,~~  
~~aut torrentia flumina ripas.~~ Vobis autem  
 præstantissimi Consules & Senatores inte-  
 gerrimi, libellum hunc meum inscribere &  
 dedicare volui, cum quod omnes pios & pru-  
 dentes Magistratus omni officiorum genere  
 mihi colendos esse statuo, tam vero quod ani-  
 mum gratum beneficiorumq; in vestra Rep.  
 acceptorum memorē ostendere cupio. Quod  
 si intellexero hanc lucubrationem vobis non  
 ingratham fuisse, benevolentiam erga vos  
 meam Deo duce vitaq; comite, vberius qui-

buscunq;

buscunque potero officijs declarare studebo.  
Valet. Dat<sup>e</sup> Tremonie. Mense Iulio.  
Anno 1556.

Vestra Excell.

Additiss:

M. Georgius Vogel-  
mannus.

## Cap. I.

Inter adiectivum & substantivum  
elegantè una aut plures dictiones  
interponuntur, aut enim Nomen,  
aut Pronomen, aut Verbum, aut Ad-  
verbium, aut Præpositio, aut plures  
simul orationis partes interleri à  
præclaris videas authoribus.

## De Nomine interposito

## exempla.

Summam parentes tui leticiam ex liti-  
ris à te missis perceperunt. Præclara  
studiosorum ingenia laudantur. Magno  
Ecclesiam damno Arrius affecit.

Cic. Bona adolescentibus indole præ-  
ditis sapientes senes delectantur.

Idem. Philosophia omnium mater ar-  
tium, quid est aliud, nisi ut Plato ait donum,  
ut ego, inventum Deorum.

Suet. Tanusius adiicit Crassus poeni-  
tentia vel metu diem cædi destinatum non  
obisse.

Idem.

Idem. In quibus abundante rerum copia pars apparatus exponeretur.

Idem. Conciliato populi favore, tenuit per partem Tribunorum, ut sibi Aegyptus provincia plebiscito daretur.

Idem. Nec obtinuit, aduersante optimatum factione.

Idem. Deposita provincie spe, pontificatum maximum petijt, non sine profusissima largitione.

Idem. Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte releuauit.

Idem. E duobus Consulatus competitoribus Lucio Luccio Marcoq; Bibulo, Lucium sibi adiunxit.

Idem. Primo prature die. Q. Calpurnium de refectioe Capitolij ad disquisitionem populi vocauit.

Cic. Qui igitur adipisci veram iusticie laudem volet, iusticia fungatur officijs.

Sue. Lucio Lucullo liberius resistenti tantum calumniarum metum iniecit, ut ad genus vltro sibi accideret.

De pronomine inter Adiectivum  
& Substantivum collocato, exempla.

Pronomen quoq; non sine gratia cum  
suo verbo his interponitur ab illustribus  
scriptoribus.

Vt scripsi ad te nuper pro ea, quæ mihi  
tecum iam pridem intercessit, amicitia.  
Honestæ est, quæ à paucis colitur, amicitia.  
Malum est, quo pleriq; delectantur, ocium.

Cic. Tantam vim habet illa, quæ re-  
tè à bono Poeta dicta est flexamina, atque  
omnium reginarum oratio.

Quint. Vbi ego longe omnium, quos  
mihi videre contigit, summum oratorem  
Domitium Afrum valde senem, quotidie ali-  
quid ex ea, quam meruerat auctoritate per-  
dentem:

Cic. Referrî enim decet ad ea, quæ  
proposui in principio, fundamenta.

Verbi interpositi exempla.

Terent. Bonâ nostrâ hæc tibi com-  
mitto & tuæ mando fidei.

Idem.



Idem. Neq; fuisse pregnantem unquam ante hunc seivū diem.

Idem. Et desinant maledicere, malefacta ne noscant sua.

Idem. Interea inter mulieres, quæ ibi aderant forte unam aspicio adolescentulam.

Idem. Dum tempus ad eam rem tulit, sui animum, ut expleret suum.

Idem. Ita cursando & ambulando totum hunc Contrivū diem.

Cic. Desine bonos petulantissima consuetari lingua.

Suet. Adiecit Cæsar etiam gladiatorum munus, sed aliquanto pauciorib. quam destinauerat partibus.

Cic. Inprimisq; ut habeas quibus cum possis familiares conferre sermones.

Cic. Testes sunt permulti, sed brevitatis causa, familia erimus contenti una.

Idem. Nullis præsijs septi, multis afficientur iniurijs.

Aduerbij interpositi exempla.

Quæ est tua tandem petulantia?

Ter.

Ter. Tum illa ut consuetum facile amore cerneret, reiecit se in eum flens familiariter.

Idem. Vxor quid faciat in manu non est mea.

Cic. Sed quid quero velis ne? cum literis tuis eruditissime scriptis, te vel maxime velle perspexerim.

Idem. Iam enim faciam criminibus penè dissolutis contra atq; in ceteris causis fieri solet.

Idem. Qua maxime iniuria instinctus omnibus officijs C. Pompeium affectatus est offensum patribus.

Cic. Me quidem certe tuarum actionum sententiarum, voluntatum, rerum deniq; omnium sociam comitemq; habebis.

Præpositio quoq; cum suo casu his venuste inferitur, ut.

Magna pro beneficijs acceptis, habenda est gratia.

Summam in præceptis discendis, diligentiam adhibeant pueri.



Ter. Multam, de his rebus, culpam  
commeruit tua.

Idem. Ibo, illis dicam nullam esse in  
nobis moram.

Idem. Et quia erat forma præter  
ceteras, honesta & liberali, accedo ad pe-  
dissequas.

Salust. Decere existimaui vt vnã  
ex tam multis orationem eius perscriberem.

Cic. Quum præsertim matris tue gra-  
uissimæ atq; optimæ fœminæ maiora, erga  
salutem dignitatemq; meam, studia, quam  
quæ à muliere erant postulanda, perspexe-  
rim.

Idem. Sunt ingenijs nostris semina in-  
nata uirtutum quæ si adulescere liceret, ipsa,  
nos ad beatam vitam, natura perduceret.

Suet. Constitutaq; ad arbitrium Re-  
publica Sylla et Antonio Consulatus restitui-  
erentur.

Idem. De hac significare videtur et  
Cicero in quadam ad Atticum epistola, refe-  
rens Cesarem in Consulatu regnum confir-  
masse.

Idem.

Idem. Atq; in exercenda de sicarijs  
 questione, eos quoq; sicariorum numero ha-  
 buit.

Cic. Sic existimabimur adepti con-  
 iunctam cum iusticia prudentiam.

Cæterum præcepto hoc venusto vsurus  
 operam dabis, ne Adiectiuum à suo substan-  
 tiuo longius distrabatur, id quod si neglexe-  
 ris cum reprehensionis notam incurres, tum  
 vero orationi obscuritatem afferes.

## C A P. II.

De adiectiuorum collocatione  
 præponenda ne sint suis substantiuis  
 an postponenda nihil inuenias certi,  
 ea tamen præposita attendas sæpius,  
 pronominum vero adiectiua postpo-  
 sita inuenias sæpissimè & elegan-  
 tissime.

### De adiectiuo Nominis.

Boni viri familiaritas mihi iucunda est.  
 Egregijs facinoribus immortalitati nomen

commendatur. Cotidiana lectio eruditionem  
 alit & auget. Sic dicimus. Diuinum inge-  
 nium. Cadm ea vel truenta victoria Diutur-  
 num silentium.

Quint. Natura tenacissimi sumus eorū  
 quæ rudibus anis percipimus.

Val. Max. Eleuet aliquis præmia vir-  
 tutis, quum animaduertat fortes viros feli-  
 cius sepeliri, quam viuere ignauos.

Cic. Aliter enim ampla domus dede-  
 cori domino sæpe fit, si est in ea solitudo, &  
 maxime si aliquando alio domino solita est  
 frequentari.

De adiectiuis Pronominali-  
 bus, veluti sunt: Hic, hæc, hoc,  
 meus, tuus, suus, noster,  
 vester, ipse, iste,

Exempla.

Ingenium tuum, Honor meus Favor ille.  
 Pietas tua. Observantia mea.

Terent.

Terent. Munus nostram ornato ver-  
bis, quoad poteris.

Idem. Abi hinc quo dignus es cum do-  
nis tuis tam illepidis.

Idem. Satietas me iam tenet studiorum  
istorum.

Idem. Matrem ipsam ex aegritudine  
miseram mors consecuta est.

Idem. Etiam si aetatem nostram non  
spatio senectutis, sed tempore adolescentie  
metiamur, abunde multas ad discendum an-  
nos habent.

Idem. Fempcius abunde disertus rerum  
suarum narrator.

Valeri. Ma. Es demum tuta est poten-  
tia quae viribus suis modum imponit.

Idem. Res ipsa parua, sed animi mei  
dolor magnus est.

Idem. Firmiter enim maiores nostri  
stabilia matrimonia esse voluerunt.

Idem. Non obliuione amicitiae nostrae  
neq; consuetudinis meae superioribus ad te  
nullas literas misi.

Elegantiam & concinnitatem  
sentias maiore, si inter hæc adiectiuū  
pronominale & substantiuum vide-  
licet aliud quippiam interpolueris.

vt:

Familiaritas tibi mea fortasse non in-  
iucunda est.

Labore mihi tuo utilitatem paris.

Liberalitas quoq; tua amorem tibi con-  
ciliauit maximum. Avaritia tibi tua omnium  
contrahit odia.

Catul. Remitte pallium mihi meum  
quod inuolasti.

Cic. M. Terentius in forum venit, ad  
amicitiam se meam contulit.

Cic. Tanta enim liberalitate se tua  
vfos predicabant, vt is plus a te tributum  
intelligerem, quam ego auderem te rogare.

Idem. Si proficiscerer ad bellum, peri-  
culum te meum commouebat.

Idem. Sunt enim testes, & erunt semi-  
piterni meritorum erga me tuorum, meaq;  
pietatis.

Cic.

Cic. Omnino vt mihi quidem videtur,  
rerum omnium facietas vitæ facit facietas  
teræ.

Idem. Vera gloriæ radices agit, atq;  
etiam propagatur, ficta omnia tanquam flo-  
sculi decidunt.

Idem. Illiberales autem & sordidi  
quæstus mercenariorum omnium, quorum  
operæ non quorum artes emuntur.

Idem. Atq; ratio omnis dicendi tribus  
ad persuadendum rebus est nixa.

Idem. Quid dicam de thesauro rerum  
omnium memoriæ.

Terent. O mearum voluptatum omnium  
inuentor, inceptor, perfector.

### Nullus substantiuo Postpositum.

Laborem nullum causa tua defugiam.  
Amicum nullum. Literæ nullæ. Præmium  
nullum Lingua nulla est qua id tibi negem.

Cic. Illud magis mihi solet esse mole-  
stum tantis me impediri occupationibus, vt  
ad te scribendæ meo arbitrato facultas nulla  
detur.

Idem.

Idem. Graui teste priuatus sum amoris  
summi erga te mei.

Polit. Longius distuli, quàm fortassis  
singularis amor erga te tuus merebatur.

Idem. Studio in te meo & amori obse-  
quor.

Idem. Testibus non indiget amor erga  
te meus.

Idem. Mihi tamen omnino longe pluris  
est argumentum hoc amoris erga me tui.

### CAP. III.

Adiectiua Omnis & Nullus sub-  
stantiuis venustius postponuntur,  
quam præponuntur. vt:

Virtus omnis. Diuitie omnes. Studium  
omne.

Terent. Matres omnes filijs in peccato  
adiutrices, & auxilio in paterna iniuria esse  
solent.

Quint. Frustra mala omnia ad crimen  
fortune relegamus.

Cic.

Idem. *Maus mihi dare beneficium nullam potes.*

Idem. *Sæpe videmus fractos pudore qui ratione nulla vincerentur.*

Idem. *Narrare quidem rem breuiter iubent, si breuitas appellanda est, cum verbum nullam redundet.*

### CAP. IIII.

*Relatiuum pulchrè cum suo verbo aut sine eo interdum in casu eodem antecedenti præponitur, ita vt & sequenti verbo in casu respondeat.*

*vt:*

*Quam mecum collis amicitiam, multi laudant.*

*Quas iam pridem optavi suaves accepi literas.*

*Quem maxima cum diligentia scripsi Virgilium, tibi concedo. Qua te complectar amicitia ex literis, ad te meis abunde satis perspectura est.*

*Quos homines securos nulliusq; rei curiosos putamus in vtriusque aurem dormire prouerbiali sententia dicimus.*

*Circ.*



Cicer. Quos in vrbe tumultus Nilo  
concitauit multarum seditionum causa extis  
terunt.

Ter. Quod habui summum pretium  
per solui tibi.

Idem. Quem cum isto sermonem ha-  
bueris, procul hinc stans accepi vxor.

Idem. Ipse eripuit vi, in digito quem  
habuit, virgini abiens anulum.

Eras. Deinde quæ succedit huic adol-  
lescentia, quam est apud omnes gratiosa.

### CAP. V.

Nonnunquam Relatiuum cum  
antecedente quidem in eodem casu  
elegantè ponitur, sed ita vt cum  
verbo vel adiectiuo sequente non  
conueniat. vt:

Quas ad me dedisti literas fuere sua-  
uissimæ.

Quem mihi commendasti hominem,  
fratris loco erit.

Quæ fecit nuptias non sunt veræ.

Ter

Ter. Ut placerent populo, quas fecissent fabulas.

Idem. Posthac quas faciet de integro comedias spectanda an exigenda sint vobis prius.

Ter. Quas credis esse has non sunt verae nuptiae.

Quin. Vereor ne quos porrexeris cibos, venena fiant.

Liu. Quem ceperunt exules montem herbidus a quosque est.

Ouid. Concidere manus quas legerat herbas.

Idem. Quas geritis vestes sordida lana fuit.

Poëta interdum Relatiuum postponunt in hac dicendi figura; ut:

Vir. Urbem quam statuo vestra est.

Ter. Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit.

Plaut. Neucratem quem conuereire volui, in nauis non erat.

Sed id genus orationes ab usu sunt remotiores.

## CAP. VI.

Inter Nominatiuum & suum  
verbū elegantissimè collocatur Rela-  
tiuum cum alia sententia, quæ paren-  
thesi includi potest.

vt:

Tempus quod omnia reuelat, ostendet  
rem contra esse gestam, atq; tu ducis.

Sapientia (quæ à plerisq; contemnitur)  
est omni auro preciosior.

Amicitia (quam multis declarasti bene-  
ficijs) facit vt meam tibi operam, nunquam  
sim denegaturus.

Cicero (qui in dicendi facultate tan-  
quam solis iubar effulsit) Archie poete he-  
reditatem reddidit. Miloni vitam donauit,  
& Caesaris animum sibi conciliauit.

Terent. Tamen vel virtus tua, vel vici-  
nitas, quod ego in propinqua parte amicis-  
tie puto, facit, vt te audaciter moneam, &  
familiariter.

Virg.

Virg. Ast ego, quæ diuûm incedo  
regina Iouisq;

Et soror, & coniunx, una cum gente  
tot annos

Bella gero.

Cic. Vultus quidem totus, qui sermo  
quid iam tacitus mentis est, hic in fraudem  
homines impulit, hic eos quibus erat ignotus  
decepit, fefellit induxit.

Cic. Hæc eo pluribus dico, quod genus  
hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius  
actores, reliquerunt.

### De ratione ornate auspicandæ finiendæq; orationis.

Orationem hic voco integram & per-  
fectam sententiam, quam Grammatici tribus  
constare partibus docent, Supposito, verbo,  
& Obliquo. Suppositum est nominatiuum  
aut aliquid loco Nominatiui positum. Ver-  
bum & Obliquum alij appositam vocant.  
Dialectici has partes vocarunt Subiectum &  
Prædicatum. Ut cum dico: Caesar adeptus est  
Monarchiam imperij summis viribus. Hic

Caesar

Cæsar suppositum vocatur, apud Dialecticos  
Subiectum. Sed verbum adeptus est cum reli-  
quis obliquis Appositum, & Prædicatum dicitur.  
Itaq; nescias ne sis aliam à Grammaticis aliū  
ab Oratoribus seruari collocandorum verbo-  
rum ordinem, sequentes præceptiones sub-  
iungere visum fuit.

## CAP. VII.

Commendabitur oratio, quæ ab  
obliquis seu dictionibus posteribus  
initium sumit.

vt:

Darium Alexander Macedo vicit. &  
Summis viribus imperij Monarchiam Cæsar  
adeptus, (est

Venustiora & grauiora profecto sunt,  
quam si hoc modo verba colloces.

Alexander Macedo vicit Darium, &  
Cæsar adeptus est Monarchiam imperij  
summis viribus.

Quamobrem talem verborum colloca-  
tionem, propter concinnitatē diligenter ob-  
seruabunt elegantie studiosi.

B

Exempla

## Exempla.

Genitui Hispanie præclarissimam urbem Numantiam Scipio deleuit. Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere.

Cic. Epistolarum genera multa esse non ignoras.

Idem. Iudicis est semper in causis verum sequi, patroni nonnunquam verisimile.

Datiui. Meis ad te scriptis literis accuratè respondisti. Dijs, Parentibus, Magistratibus non facile parem inuenies.

Valer. Max. Cœnanti apud Scopam, in Cranone quod est Thessaliæ oppidum nunciatum est duos adolescentes ad ianuam venisse.

Accusatiui. Patrem sequitur sua proles.

Degeneres animos timor arguit. Carthaginem Scipio Africanus deleuit. Splendorem virtutis inuidia obscurare conatur. Iouem à Cœlo Gigantes expellere conati sunt.

Cic.

Cic. Alexandrum regem videmus,  
qui cum interemisset Clybham familiarem  
suam, vix à se manus abstinuit.

Ablatii. Parentibus clarissimis ortus  
Lodouicus Plagius. Summa indole præditus  
adolescens.

Cic. A nobis homo audacissimus Catilina  
accusatus in Senatu obmutuit.

Val. Max. Vetusto macedonie more,  
regi Alexandro nobilissimi pueri, præsto  
orant sacrificanti.

### CAP. VIII.

Memineris orationes verbis, quàm  
alijs orationis partibus. finiri venustius.  
In primis vero Periodi, quantum fieri potest,  
verbis claudendæ sunt. ut:

Cic. lib. 3. de orat. Consuetudo sic  
scribendi, atq; dicendi ut sententia verbis  
finiatur.

Idem. Vertere græca in latinum nostri  
oratores optimum iudicabant.

Cic. Ego vos hortari tantum possum,  
vt amicitiam omnibus rebus humanis ante-  
ponatis.

Idem. Non enim procacitate linguae  
vitae sordes cluuntur.

Idem. Pares cum paribus veteri pro-  
uerbio facillimè congregantur.

Salust. Profecto fortuna in omni re  
dominatur.

### CAP. IX.

Quoties dictiones vniuersales Omnis  
Nullus, Nemo, in formulis effertur,  
eas grauius et elegantius in fine quàm  
initio aut medio collocamus. vt;

Omnis positum in fine.

Amicitiam fortunis antepono omnibus.

Negotium suum quàm alienum confi-  
cere malui omnes. Literarum semel per-  
ceptarum dulcedo voluptatem exuperat  
omnem.

Ter.



Ter. Ita pleriq; ingenio sumus omnes.

Idem. Iam tum erat suspicio dolo malo hæc fieri omnia.

Cic. Aut nulla virtus est, aut contemnendus dolor omnis.

### Nemo in fine positum.

Amicitie fidem qui bonus sit, fallat nemo.

Virtuti diuitias, qui sana mente sit, postponat nemo. Ego callidiores hominem vidi neminem.

Cic. Qui tibi non assentiretur inueni neminem.

Idem. Ego habeo cui plus quam tibi debeam, neminem.

Idem. Illò si veneris tanquam Vlysses cognosces tuorum neminem.

### Nullus in fine collocatum.

Animadvertimus etate hæc diuites literis fauere nullos.

Que tu scripsisti carmina laudari au-  
diuimus à nullo.

Cic. Que igitur ea cupiditas eius legis fe-  
rende, que turpitudinem summam habeat,  
gratiam nullam.

CAP. X.

Illud quoque obseruare debet poli-  
tioris sermonis candidata pubes, o-  
rationem esse elegantem eam, que  
comparatiuum vel Superlatiuum no-  
minis vel aduerbij in fine habeat,

Exempla Comparatiui.

Literarum scientia nobilitatem generis  
facit clariorem. Dulcedo tecum loquendi  
me compulit, vt epistolam scriberem aliquan-  
do longiorem.

Ter. Ne me obtundat hac de re sepius.

Cic. Declarandum arbitror nihil mihi  
esse potuisse tuis literis gratius.

Idem. Orationem autem latinam effi-  
cies profecto legendis nostris plenior.

Idem.

Idem. Agro bene culto nihil, potest  
esse nec usu vberius, nec specie cultius.

Idem. Videntur omnia repentina gra-  
uiora.

Idem. Nihil enim tua vita potest mihi  
esse iucundius, neque charius.

Superlatiui in fine positi,  
exempla.

Amicitia qua te prosequor est maxima.

Qua me complectaris benevolentia, li-  
tera tua testantur amplissimè.

Fratrum contentiones & ira sunt acer-  
bissima.

Salust. Iugurtha hominum quos ter-  
ra sustinet sceleratissimus.

Cicero: Hac vobis leuiora videntur,  
que sunt grauissima.

Idem. Frigus autem macilento cor-  
pori est inimicissimum.

Idem. Patris tui beneficia in me sunt  
amplissima.

Idem. Nimirum pecunie fructus est  
maximus.

Idem. Profectò ita est, vt id habentissimum sit antiquissimum, & Deo proximum, quod sit optimum.

## CAP. XI.

Quoties vnum & idem vocabulum in oratione eadem bis poni necesse fuerit, id eleganter sine vllò medio ponatur sibi proximè. vt:

Amicus amici consuetudine gaudet.

Amore amor, vt clauus clauo traditur.

Calliditate calliditas vincitur.

Terentius: Par pari referto.

Idem. Mulier mulieri magis congruit.

Cicero. Cura vt paleas, & me vt amas, ama.

Idem. Proximè & secundum Deos homines hominibus maximè vtilis esse possunt.

Gellius: Ciuica corona appellatur quàm ciuis ciui à quo seruatus est in praelio, testem vite salutisq; præcepta dat.

Cicero.

Cicero. Nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum.

Erasmus. Cuius equidem absentis absens memoria, non aliter frui solebam, quam presens presentis consuetudine consueneram.

### CAP. XII.

Quoties duo vocabula, quorum alterum ab altero factum sit in oratione eadem ponenda fuerint, ea non sine gratia absque ullo medio propè se collocantur, ut:

Si solitus est seruire seruitutem, sentit leuiorem.

Orationes oratori futuro legenda sunt.

Amicus amicitia etiam aliena delectatur.

Cic. Nihil est coelibe lectulo lectius atq; fortunatius.

Idem. Facile fuit iustitiam iustissimo viro defendere.

Idem. Delectauerunt me literæ tuæ,  
in quibus amavi amorem tuum, qui te ad  
scribendum incitauit.

Idem. Omnes qui probari volunt, vo-  
luntatem eorum qui audiunt, intuentur.

Plinius Iu. Postquam desuimus facere  
laudanda, laudari quoque ineptum putamus.

Ouidius: Neque enim lex iustior vlla  
est.

Quam necis artifices arte perire sua.

### CAP. XIII.

Vocabula duo si sint in eadem  
oratione, quæ contrariam habeant  
significationem, ea sibi proximè posi-  
ta orationem efficiunt concinniorē.

vt.

Doctis indocti melius dicere vulgo vi-  
dentur.

Causa otij negotia suscipimus. vtq; vi-  
uamus in pace, bella suscipimus.

Cic

Cic. Cimbri & Celtiberi in praelijs  
exultant, lamentantur in morbo.

Idem. Videas in rebus iniustus, iustos  
maxime dolore, inbecillibus fortes, flagitiosis  
modestos.

Quint. Qui stultis eruditi videri vo-  
lunt, stulti eruditis videntur.

Idem. Radia politis, & sparsa com-  
positis numerosiora videntur.

Salust. Necessitudo etiam timidos for-  
tes facit.

Idem. Neq; diuitijs aut superbia, sed  
bona fama, factisq; fortibus nobilis ignobi-  
lem antebat.

#### CAP. XIV.

Vna aliqua vox semel atq; iterum  
in oratione collocata aut repetita nō  
parum splendoris atq; ponderis ora-  
tioni conciliabit. VI.

Amicitia nihil dulcius, nihil suauius,  
nihil hominis libertate dignius esse putem

Quid

Quid iusticie tue integritatem, quid liberalitatis magnitudinem, quid virtutum deniq; omnium, quibus ornatus es, sinceritatem predicare nunc est opus?

Cic. O vitæ Philosophia dux, & virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum. Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos homines in societate vitæ cōvocasti tu eas inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & vocum communione iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplina fuisti.

Idem. Sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multo animo & cogitatione, multa etiam legendo percurrisse.

Idem. Nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet. aut qui ea quæ his sunt contraria æquitati anteposit,

C A P. X V.

Particula seu voces duæ iacclinate idem prope significantes iuxta se ele.

ganter



ganter ponuntur, et perinde valent, ac si altera earum sola posita esset.

vt :

Spero fore vt tecum tandem aliquando colloquar.

Id quidem certe iam sentio quod metucere me tibi dixeram. Certè Profecto nisi caueris diligenter, extrema stabis fortuna.

Cic. Mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus C. Pompeius multis audientibus hoc tribuit.

Idem. Quorum quidem certè est adhibendus modus, ad mediocritatem reuocandus.

Salustius. Post vbi eorum famam atq; pudorem attriuerat maiora alia imperabat.

Cic. Ego enim, vt quemadmodum sentiam sic loquar, nunquam mihi minus quam hesterno die placui.

Plaut. Quia enim sero venimus.

Idem prope viriam habent & hæ voces Diu & Multum. Omne quicquid. vt :

Cic.

Cic. Vtrum difficilius ac maius esset negare tibi sepius idem roganti, an efficere id quod rogares diu multumq; Brute cogitavi.

## CAP. XVI.

Antequam, Priusquam, Postquam, à facundis oratoribus ita usurpantur, ut ea diuidant, inq; medie vni atque alterum verbum ornatè multum interponant.

VI.

Nullas à me accipies literas antequam nuncius redierit, id venustius hoc modo efferas. Nullas à me ante accipies literas, quam nuncius redierit.

Mense tertio post egrotare cœpi, quàm Vitebergam veni.

Cic. Ante enim præterlabitur, quàm percepta sit.

Plin. Coturnices etiam antè veniunt, quàm grues.

CIC.

Cic. Quidam Numam Pompilium  
regem nostrum fuisse Pythagoreum ferunt,  
qui annis permultis antè fuit, quam ipse  
Pythagoras.

Virg. Ante leues ergo pascentur in  
æthere cervi.

Et freta destituent nudos in littore  
piscis

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germani  
nia Tygrum.

Quam nostro illius labatur pectore virtus

Priusquam diuisum.

Terent. Omnia prius experiri verbis,  
quam armis sapientem decet.

Cicero. Volo enim prius habeat orator  
rem, de qua dicat dignam auribus eruditis,  
quam cogitet, quibus verbis quicquam dicat  
et quomodo.

Postquam diuisum.

Cesar. Post diem quartum quam est in  
Britanniam ventum.

Idem.

Idem. Post diem tertium quam Africam attigit.

Cicero: Quatuordecim annis post praetor factus est. Tuditanus, quam Consul Mummius.

CAP. XVII.

Præteritum perfectum ac tempora inde formata in verbis passivis, deponentibus, & communibus, ita eleganter ab auctoribus usurpantur illustribus, ut verbum Sum, es, est, aliquo intervallo à præterito seiungant, inq; medio aliquid interserant, ut:

Multis sum magnis præsijs orbatus.

Amorem erga me tuum sum vehementer exosculatus.

Cicer. Marcellino & Philippo Consulibus nonis aprilibus mihi est senatus assensus.

Idem. Reiectus Austro sum, in eum ipsam locum vnde conscenderam.

Idem.

Idem. Nulla questio decreta à Senatu est.

Idem. In Repub. sum pariter cum Republica restitutus.

Idem. Quò etiam maiore sunt isti odio supercilioq; digni, qui non solum domicilijs atq; delubris, sunt funestos atq; nefarios ignes inferre conati.

Quint. Cum à me quidam familiariter postularent, vt aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus.

### CAP. XVIII.

Lectioe authorum doctissimorum hoc quoque edoceri possis genitium à dictione regente ornatè interdum separari, inq; medio horum aliquid interponi. vt:

Literarum tuarum sum profecto admiratus, elegantiam & venustatem.

Rerum de quibus nuper ad me scripsisti, magna est difficultas & subtilitas.

Cic.

Cic. Cui enim Octavij clari et magni viri, qui primus in eam familiam, que postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum, statuam videmus.

Idem. Multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis.

Gel. Figuram que schemata geometre appellant, genera duo sunt.

Suet. Imprimis tuende pacis, et grassatoribus ac latrocinij seditioumq; licentia, curam habuit.

Iust. Huius adolescentis supra aetatem virtus admirabilis fuit.

### CAP. XIX.

Relativum Qui, Quae, Quod, quoties Pronomine hic, Is, & Ille, cum casibus qui inde fiunt, pro antecedentibus habet, triplicem recipit collocationem, aut enim suo antecedenti praepositur, aut huic postponitur, aut sine eo solum in oratione collocatur. vt.

Qui

Qui fructum & utilitatem ex studijs  
suis percipere cupit, is diligenter exerceat  
stylum. Hic Relativum Qui suo antecedens  
ti præpositum vides, quod eidem postponi  
poterit hoc modo. Stylum diligenter exer-  
ceat is, qui fructum & utilitatem ex studijs  
suis percipere cupit. Iam Relativum Qui  
sine antecedente illo ponas licebit. Ut: Qui  
fructum & utilitatem ex studijs percipere  
cupit, diligenter exerceat stylum.

De primo modo quo Relativum  
Qui antecedenti Hic vel  
Is præponitur.

Cic. Qui se ad verecundie limites  
transierit, cum bene & graviter oportet esse  
impudentem.

Idem. Tunc malè se res habet, cum  
quod virtute effici debet, id tentatur pecu-  
nia.

Idem. Qui verò in libera virtute ita  
se instruant, ut metuantur, his nihil potest  
esse dementius.

Qui

Qui antecedentidus Is vel Ille post/  
positum. Secundo modo.

Cicero. Oportet eum qui paret, sperare se aliquo impore imperaturum, & illum qui imperat cogitare brevi tempore sibi esse parendum.

Quintil. Melius gubernantur ea quæ consilio reguntur, quàm quæ sine consilio administrantur.

Terent. Num ille somniat ea quæ vigilans soluit.

Qui Relatiuum sine antecedente solum ponitur. Modo tertio.

Cicero. Qui habet vltro appetitur, qui est pauper aspernatur.

Idem. Nec me pudet, vt istos fateri nescire quod nesciam.

Quint. Quæ vetera sunt, fuerunt olim noua.

Idem. Neque dignus opera patroni, qui non vtitur consilio.



## CAP. XX.

Venustatem orationi adijcies  
 tuæ, si inter has particulas, Ne quidē,  
 Non solum, Non tantum, Non mo-  
 do, Sed etiam dictionem vnam aut  
 alteram interpones.

Siquidem his inesse elegantiam putarunt  
 celebrati nominis authores.

## Ne Quidem, vt:

Ne nunc quidem, Ne hoc quidem, Ne  
 id quidem, Ne pilum quidem, Ne tantillum  
 quidem, Ne ramenta quidem, Ne pictura  
 quidem vidit, Ne Momo quidem displicet.

Cicero. Nunquam illum ne minima  
 quidem re offendo

Idem. Planè quando aut vbi te visus  
 rus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari  
 quidem possum.

Suetonius. Adulteria exercuisse ne  
 amici quidem negant.

## Non tantum.

Quintilianus. Cum in loca post aliquot tempus reversi sumus, non ipsa agnoscamus tantum, sed etiam quae in ijs fecerimus reminiscimur.

Gellius. Non culpa tantum vacat, sed dignus quoque laude admirationeque est.

## Non solum.

Non peccatum solum, sed peccati quoque occasio vitanda est.

Cicero. Omnia memoriae tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella.

Idem. Quae gerantur accipies ex Pol-  
lione, qui omnibus negotijs non interfuit  
solum, sed profuit.

## Sed etiam.

Cicero. Haberi enim questui Rempub. non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium.

Idem. Admiror nec verum solum, sed verborum etiam elegantiam.

Non modo:

Quint. Sententijs quidem, non orationes modo sunt refertæ, sed libri etiam Philosophorum.

Cic. Me tibi non amicum modo, verū etiam amicissimam existimes.

Suet. Homo non profunde modo, sed intestine quoq; ac sordida gula.

CAP. XXI.

Particulam Quam quoties ratione Comparativi orationi inseritur, tripliciter collocari obseruabunt studiosi, aut enim inter duos collocatur Comparatiuos, aut Comparatiuo inter quo vocabula ornatè præponitur, aut eidem postponitur.

Quam inter duos Comparatiuos positum.

Quos amamus, eos amicis quam verius laudare solemus. Fortunatior quam sapientior es Reipub. administratio honoratior quam quietior est.

Salust.

Salust. Ego scio quam aspera hæc res  
in principio futura sit præsertim ijs, qui se  
victoria lætentius liberiusq; quam arctius vsus  
ros credebant.

Quàm inter duo vocabula Compara-  
tium venustè præcedit.

Amicitia quàm pecunia delectat amplius.

Diuitijs quàm virtuti inuigilant plures

Quint. Cornelius autem Seuerus ver-  
sificator quàm poeta melior.

Salust. Regibus boni quàm mali sus-  
pectiores sunt, semper his aliena virtus formi-  
dulosa est.

Cicero. Quamuis enim Themistocles  
iure laudetur, & sit eius nomen quàm Solo-  
nis illustris.

Idem. Id re quàm verbis faciam li-  
bentius.

Quàm inter duo vocabula colloca-  
tum. Comparatiuum sequitur,  
non tamen pari elegantia.

Quintil. Difficilius semper est creditum  
defendere, quàm accusare.

Idem. Facilius ediscitur versus, quam  
profam orationem.

Idem. Minus afficit sensus sagitatio,  
quam cogitatio.

Cicero. Morbi perniciosiores plures  
sunt animi, quam corporis.

CAP. XXI.

Non indignum observatu fue-  
rit, magis quam particulas duas sine  
vlla voce media coniungi, quam dis-  
iungi elegantius, UT :

Amicitia me delectat magis, quam pe-  
cunia.

Cicero. Graue est homini prudenti  
potere aliquid magnum ab eo, de quo se be-  
ne meritum putet, ne id quod petat, exigere  
magis quam rogare, et mercedis potius  
quam beneficij loco numerare videatur.

Salust. Ius bonumque apud eos non le-  
gibus magis quam natura valebat.

Idem. Alia belli facinora præda magis, quam detrimento fore.

Idem. Servire magis quam imperare parati estis.

Idem. In pace verò beneficijs magis quam metu imperium agitabant.

Idem. Neq; quicquam te ad crudeles penas, aut acerba iudicia vocat, quibus civitas vastatur magis quam corrigitur.

### CAP. XXIII.]

Elegans dicendi genus est, & apud auctores bonos frequens quoties has particulas, Quam & Ut post Comparativum in oratione coniungimus.                    vt.

Amor in te meus maior est, quam v<sup>t</sup> dicere possim.

Clarior est fame tue celebritas, quam vt lippis invidia oculis videri possit.

Cicero.

Cicero. Hoc quoque videtur esse altius  
quàm ut nos humiliari suspicere possimus.

Idem. Maiore mihi ingenio videtur  
esse, quàm ut cum orationibus Lysie compa-  
retur.

Quint. Id frequentius est, quàm ut  
exemplo confirmandum sit.

Cicero. Nihil habet Cæsaris nec for-  
tuna tua maius, quàm ut possis, nec natura  
melius, quàm ut velis, servare quàm pluri-  
mos.

#### CAP. XXIV.

Id quod pronomina simul iuncta,  
cultioris eloquij candidati usurpant  
pro Quod, siue pro Eo, quod dome-  
stico sermone quæ res dicitur.

ut:

Bonus coquus pluris fieri solet quàm  
vir doctus, id quod eleuat literarum stu-  
dia.

Immeriti cumulantur honoribus, viri  
boni repulsam patiuntur, id quod in causa  
est, cur non magno studio virtus ipsa colatur.

Cicero. Diem consumi volebant, id  
quod factum est.

Idem. Illi verò non modò cum ho-  
stibus, sed cum fluctibus, id quod fecit, dimi-  
care melius fuit.

Idem. Quis verò non pudet, id  
quod in plerisque video, hunc ego non repre-  
hensione solam, sed etiam poena dignum  
puto.

Quint. Rebus tamen acuti magis,  
quàm (ibi quod sanè non affectant) oratione  
magnifici.

Salustius. Ad hoc providendum est,  
quam pacto Italia atq; prouincie tutiores  
sint, id quod factum haud obscurum est.

## CAP. XXV.

Coniunctio Vt causalis in medio  
orationis prope verbum quàm alio



in loco collocatur elegantius. ut.

Negotium hoc ut conficias, laborandum est.

Amicitia nostra ut fiat amplior, crebris nos invicem literis salutemus.

Terent. Ea gratia simulavi, vos ut pertentarem.

Idem. Diligentius nuncios patri, aduocatus mane mihi esse ut meminerit.

Idem. Ita sum irritatus, animum ut nequeam, ad cogitandum instituere.

Cicero. Proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi.

Idem. Ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum.

Idem. Que sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, mimici lachrymas ut tenere non possent.

## C A P. XXVI.

Elegantioris sermonis studiosi illud quoque in memoriae thesaurum

reponant, has particulas, vt, ne, non  
in vltimate coniungi, proque ne poni  
tum apud Ciceronem, tum alios au-  
ctores bonos.

vt:

Cicero. Iustitiae primum munus est,  
vt ne cui quis noceat, nisi laesit in iuria.

Idem. Neue committas, vt ne, cum  
omnia suppeditata sint à nobis, tute tibi de-  
fuisse videare.

Idem. Agendam est etiam, vt ne ea  
facere videamur irati.

Idem. Ludendi est etiam quidam mo-  
dus retinendus, vt ne nimis omnia profunda-  
mus.

Terent. Id vt ne fiat, haec res sola  
est remedio.

Idem. Peregrè rediens, semper cog-  
itates, aut filij peccatum, aut vxoris mortem,  
aut morbum filiae, communia esse haec, fieri  
posse, vt ne quid animo sit nouum.

Idem. Haec mihi cura est maxima, vt  
ne cui mea longinquitas aetatis obstet, mor-  
temue exoptet meam.

## CAP. XXVII.

Præpositiones quasdam non inuenuitè suis casibus postponi obseruare debent incorruptæ Latinitatis amatores.      vt :

Cicero. Habes quibus cum possis familiares conferre sermones.

Idem. Quid dulcius, quàm habere quo cum omnia audeas, sic loqui, vt tecum.

Idem. Nihil mihi tam deesse scito, quàm qui cum hæc familiariter docteq; rideam.

Terent. Essem vnà qui eam cupiebam.

## De.

Multis de causis Cesar maiorem Gallie motum expectans

Gellius. Quo nam modo veteres nostri particula ista qua de agitur vsi sunt.

## Penes.

Cicero. De illo autem, quem penes est omnis potestas nihil video.

Quintilianus. Neminem posse dare alteri matrimonium, nisi quem penes sit patrimonium.

### CAP. XXVIII.

Particulam Quod, Post, Ideo, Propterea, Idcirco, & Eò positam, aut sine his etiam, pro Quia eleganter idonei usurpant auctores, VI.

#### Ideo Quod.

Cicero. Re quidem ipsa ideo mihi nõ satisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possam.

#### Propterea quod.

Terentius. Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror, quod voluptates eorum propriae sunt, hoc est, perpetuae.

Cicero.

Cicero. Egomet qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quod nullam iam rem grauius iam diutuli, quam incommodum tuum.

Idcirco quod.

Cicero. Etsi non idcirco eorum usam dimiseram, quod ijs succenserem, sed quod eorum me suppudebat.

Eò quod.

Cic. Eoq; ad te tardius scripsi, quod quotidie te ipsum expectabam.

Idem. Eò quidem loquor confidentius, quod Catulus auditor accessit.

Idem. Idq; mihi eò magis est cordi, quod ex omnibus seculis vix tria aut quatuor nominantur patria amicorum.

Quod pro quia solum positum.

Od id te sepius reprehendo quod impensius diligo.

Cicero. Noctu obambulabat in publico  
Themistocles, quod somnum capere non  
posset.

Idem. Amabilior mihi Lelia fuit,  
quod te ad ea sensi amari.

### CAP. XXIX.

Pronominibus, Qui, Quæ, Quod,  
in oratione interrogatiua politis,  
multa cum venustate præfigitur Ec  
particula. vt:

Ecquis est, qui me conuentum cupit?

Velim ad me scribas, eequem habeas  
amicum, quo cum animam relaxaturus &  
studijs tuam, sermonem sociare possis?

Terent. Ecquid nos amas de fidicijs  
na hac?

Cicero. A Curione velim scire, ecquid  
ad te scriptum sit Tirone.

Idem. Ecquæ poterit esse in agnoscens  
do distinctio?

Idem. Deinde interrogares, ecquos  
nam alios possent nominare.

Idem.

Idem. Quis hoc quod tantum malum putas, quod in mea calamitate non sit?

Idem. Ecquid presidij unquam habueris? ecquem in castris consulem? ecquem exercitum iuuenturis.

### CAP. XX.

Gratissima doctis auribus oculisque spectatissima oratio est, in qua eiusdem nominis adiectiui positivum, comparativum & superlativum, velut per gradationem quandam ponimus.

vt:

Felix est, cui amicum bonum diligere contigit, felicior, qui ad eo literas multas accipit, felicissimus, cui cum eo vivere datum est.

Item. Cum eo preclare agitur, qui pecunie indigens literarum studiosus est, preclarius cui cum scientie cupiditate pecunie adest copia, preclarissime cui ea literarum cupiditas carum professione exaltata est.

Plaut.

Plaut. Miser homo, qui ipse sibi quod querit, id egre invenit. Sed ille est miserior, qui & egre querit, & nihil invenit. Ille miserrimus est, qui cum esse cupit, quod edat non habet.

Plin. Malum patrem familiam, quisquis interdum faceret quod noctu posset, nisi in tempestate celi. Peiorem qui profectis diebus ageret, quod feriatis deberet. Pessimum, qui sereno die sub tectis potius operaretur, quam in agro.

Erasmus. Paucis contingit forma decus, paucioribus divitiae, paucissimis eloquentia.

### C A P. X X X I.

Pulchrum est & illud dicendi genus, quoties post Superlativum ponitur Comparativus eiusdem nominis, qui significatum Superlativi quodammodo superare videtur. vt.

Mibi quidem amicissimus es, esses tamen amicior si saepius ad me scriberes.

Lite



Literæ tuæ mihi iucundissimæ fuerunt, eoq; iucundiores quod ex ijs te perbellè valere intellexi.

Cic. Vale igitur mi Cicero, tibiq; persuade, te mihi quidem esse charissimum, sed multo fore chariorem si talibus monumentis præceptisq; letabere.

Idem. Cum ipsum Furnium per se libentissimè vidi, tum hoc libentius, quod illum audiens te videbar audire.

Idem. Hoc tibi proponere, amplitudinem & quasi exaggerationem quàm altissimam animi, quæ maximè eminet in contemnendis & despiciendis doloribus, unam esse omnium rerum pulcherrimam, eoq; pulchritudinem, si vacet populo, neq; plausum captant se tantum ipsa delectet.

Ouid. Accedat lachrymis odium,  
dignusq; puteris,  
Qui mala cum tuleris plurima plura feras.

### CAP. XXXII.

Pronomen is, post copulatiuam coniunctionem, non sine Venere quasi

in Epexegeſi, id eſt, expoſitione, ſiue  
 declaratione præcedentis collocatur.

vt:

Alexander ſuperavit Darium cum inſi-  
 nito exercitu, & id in adoleſcentia.

Veſte erat indutus talari, & ea detrita &  
 ſordida. Hic paucis ſuperbit nummis, nec ijs  
 ſuis, ſed aliunde corrogatis.

Vnicam tantum à te accepi epiſtolam,  
 & eam perbreuem.

Cicero. Barbaram, & eum quidem,  
 vt ſcriptum eſt, compunctum natis Threicijs  
 diſtricta gladio iubeat antecire.

### CAP. XXXIII.

Arcana quoq; elegancia eſt Ciceroſ  
 ni vſitatiffima, cum pronomen Ille  
 cum conjunctione quidem iungitur,  
 quoties aliquid concedimus, à quo  
 mox aliud remouebimus. vt:

Cicero. Qui autem ſummum bonum in  
 virtute ponunt, præclarè illi quidem, ſed hæc  
 ipſa virtus amicitiam & gignit & continet.

Idem.

Idem. In quo eò magis nobis laborandum est, quod multi iam esse latini libri dicuntur scripti, ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis.

Idem. Atq; hoc loco Philosophi minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam & commentitiam, fabulam dicunt à Platone.

Erasmus. Siquidem adieciimus libellum de Amicitia alterum de Senectute, alterum de paradoxis, atq; in omnes annotatiunculas quasdam, breues quidem illas, sed ni fallor, haudquaquam incommodas.

### CAP. XXXIII.

Orationes Indicativi & Subiunctivi Modi, quæ particulas Quod vel Vt sibi annexas habent, ornate pueri in infinitivi constructione resolvere poterint, Nominativo in accusatiuum, & verbo in Infinitivum mutato, abiectis Quod vel Vt.

Aiunt quod probi adolescentes deprauentur consuetudine malorum, hoc sic resolui potest: Aiunt probos adolescentes deprauari consuetudine malorum.

Terent. Chremes venit clamitans, indignum facinus comperisse se, Pamphilum pro vxore habere hanc.

Cicero. Te à me amari plurimum iudicabis.

Terent. E flamma te cibum petere posse arbitror.

Plin. Iu. Audio Valerium Martialem decessisse, & molestè fero.

Cicero. Anaxagoram ferunt nunciata morte filij dixisse, sciebam me genuisse mortalem.

Cæsar. Ex ijs cognouerunt Cæsarem ipsam in classe venisse.

Terent. Optauit se inhonestè hic parare diuitias quàm in patria honestè pauper viuere, hoc est, vt pararet diuitias potius, quàm pauper viueret.

## CAP. XXXV.

Orationes Indicativi & Subiunctivi modi, præcedentibus Cum, Dum, Postquam, & similibus particulis, ornate multum in duos ablativos commutabis, quorum alter sit nominis, alter participij, vt.

Cum Roma floureret, atq; Scipio Africanus regnaret, est Respub. bene administrata.  
Hanc locutionem eruditius efferre poteris: Roma florente, atq; Scipione Africano regnante, est Respub. bene administrata.

Cum Iulius & Pompeius inter se dissentirent, summum est civile bellum ortum,  
Hanc simili modo elegantius eloqui possis.  
vt.

Iulio & Pompeio inter se dissentientibus, summum est civile bellum ortum.

Mulier amissa pudicitia, nihil habet reliqui quod laudandum putes, id est, cum amisit pudicitiam.

Cicero. Oppressa libertate patrie nihil est quod amplius speremus.

Idem.

Idem. Appropinquante morte, animus multo est diuinius.

CAP. XXXVI.

Quoties Nominatiuo Vni, Duo, vel plura verba aliqua copula coniunguntur, ijs abiectis, & verbis in Gerundia vel participia commutatis, orationem construes elegantiozem.

vt:

Cicero à primis annis oratorie facultatis vacauit, & multos eloquentie patrocinio seruauit, & incredibili suauitate perorauit. Hunc incultum & illepidum sermonem per Participia & Gerundia efficies venustiorez, qua breuitatis iuxta ac venustatis ergò inuenta sunt.

vt:

Cicero à primis annis oratorie facultati vacans, multos eloquentie patrocinio seruauit, incredibili suauitate perorando.

Lycurgus canes educauit duos, quorum alter in culina semper obambulans, vinctioribus cibis inhiabat, mollibusq; scamnorum

puluis

puluinis assaultando, tempus ociosè transmittēbat.

**Cesar.** De Bell Gall. Ad hoc autem incommodum accesserat, quod Cesar non modo imperatorum superiorum exercitum continebat, sed in tertio quartoq; die procedendo, propriusq; hostem accedendo, castra commuuebat, opereq; faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem.

CAP. XXXVII.

Gerundia in participia ita commutata, vt cum nominibus substantiuis sibi iunctis genere, numero, & casu conueniant, gratiora sunt, ac si cum casu sui verbi efferantur. vt:

Studendi iuris causa sum in Academiam missus.

Poeticè discende gratia huc veni.

Gerendorum bellorum causa prim eps proficiscitur.

Gratia salutandorum amicorum domū redeo.

Eo ad emendas vestes.

Hæc omnia elegantiora sunt, quàm si dixeris: *Causa studendi ius, Discendi Poeticam, &c, Eo ad emendum vestes.*

*Cicero. Nunquam mihi tui colendi aut ornandi voluntas defuit.*

*Idem. Ut privum mihi potestas data est augende dignitatis tue nihil prætermisi.*

*Idem. Quid tam difficile est, quam in plurimorum controuersijs dijudicandis ab omnibus diligi?*

### CAP. XXXVIII.

*Formulae in quibus est Relatiuū Qui, Quæ, Quod, & verbum præsentis, præteriti & futuri, temporis venustè ita commutantur, vt Relatiuū omittatur, & verbum in participium commutetur, vt.*

*Redama eum, qui te amat, hoc sic ornatius esseres: Amantem te redama. Item, Rete non tenditur accipitri, neq; miluio, illis qui nihil nocent tenditur. Elegantius dixeris: Nihil nocentibus tenditur.*

Bona



Bonarum artium studio queritur nomen,  
quod nunquam peribit. Rectius & latinius  
est: Bonarum artium studio queritur no-  
men nunquam periturum.

Item meruditum est:

Compara tibi diuitias, quae semper dur-  
rabunt.

Latinum est:

Compara tibi diuitias semper duraturas  
Res celerem finem habituras summope-  
re exposcimus.

Eras. Hic quicquid vndecunq; corra-  
dere potest, id totum donat ventriculo, pau-  
lò post fortiter esuriturus.

Idem. Ille versuris ac aere alieno diuis-  
tem se putat, mox omnia decocturus.

### CAP. XXXIX.

Loco illorum verborum, Cupio,  
Volo. Desidero, Intendo, Debeo,  
cum particulis Si vel cum, oratissimè  
vtimur participio futuri temporis  
abiectis Si & Cum, particulis. vt

Incolua

Incultus sermo est.

Si intendis vel cupis scribere carmen  
succis plenum Virgilium legito.

Elegans est.

Scripturus carmen succis plenum Virgilio  
legito.

Item. Si cupis orare, cubiculum in-  
trato.

Latinum est.

Oraturus cubiculum intrato.

Item.

Auditurus concionem templum subito.

Scripturo mihi has ad te literas nunci-  
atum est, te esse in Italiam profectum.

Eras. in Mor. Deinde dicturi de  
charitate à Nilo Ægypti fluvio sumunt ex-  
ordium, aut crucis mysterium enarraturi, à  
Babylonico dracone feliciter auspiciantur,  
aut de ieiunio disputaturi de duodecim Zo-  
diaci signis principium faciunt, aut de fide  
verba facturi, de quadratura circuli prelo-  
quuntur.

## CAP. XXXV.

Verba omnia motum ad locum significantia, variè efferuntur, aut enim cum priori Supino, aut Gerundio, aut Gerundio, aut Participio futuri temporis commutari possunt.

UT:

Venit vt eripiat virginem.

Venit ereptum virginem.

Venit ad eripiendum virginem.

Venit ad eripiendam virginem.

Venit eripere virginem, ¶

Venit erepturus virginem, Que postrema formula omnium est, eruditissima.

Alia formula commutata.

Hic festinat vt omnia bona sua profundat

Festinat profusum omnia bona.

Festinat ad profundendum sua bona.

Festinat ad profundenda sua bona.

Festinat profundere bona sua.

Festinat profusus sua bona, Harum tamen penultima Græcis, quam Latinus est familiarior.

CAP

## CAP. XL.

Futurum passivum infinitivi modi venustissimè ponitur pro participio passivo futuri temporis in *Dus*, & verbo *Esse*. *vt.*

*Existimarem me nunquam à te ludibri<sup>o</sup> ledendum esse, id ornatius Cicero effert:*  
*vt:*

*Cicero. Existimarem pro mutuo inter nos animo & pro reconciliata gratia me nec absentem ludibrio laesum iri.*

*Idem. Eius literis omnia perlatum iri ad senatum putabam.*

*Idem. Atq; hoc addidit testimonij sua illum sententia, quam palam omnes laturi essent, condemnatum iri.*

*Terent. Qui postquam audierat non daturum iri filio uxorem suo.*

*Idem. Et illam sine tua opera in cubiculum iri deducit ad domum.*

*Salustius. Ita ratus Jugurtham aut praesidijs nudatum iri, aut praelio certaturum*

*Idem.*

Idem. Neq; hominem nobilem non sua  
ignavia, sed ob Rempub. in hostium potestas  
relictum iri.

## CAP. XLII.

Adiectiva masculina & foemini-  
na in genus neutrum sic commutata,  
vt substantiuum subiiciatur in geni-  
tuo, latinam & elegantem formu-  
lam constituunt.

VI ::

Plurimam	LAVDEM	Plurimum	LAVDIS
Mulcam		Multum	
Modicam	IN	Parum	CONSE-
Nullam		Nihil	
Tantam		Tantum	CVTVS
Quantam		Quantum	
Aliquam		Aliquid	E S.
Quam		Quid	
Hanc		Hoc	
Maiorem		Plus	
Minorem		Minus	

Terent. Cur non accersi iubes filiam, &  
quod dotis dixi firmas.

D

Quint.

Quint. Sol vniuersis idem lucis & caloris largitur.

Cic. Mihi poenarum plus quam illi optarem, dederunt.

Terent. Nihil est periculi me vide.

Sic dicimus: Hoc habes nobilitatis, hoc honoris tibi semper deferam, pro hunc honorem, & hanc nobilitatem.

### CAP. XLIII.

Duobus vel pluribus substantiuis singularibus venustissimè subijcitur aliud substantiuum plurale à scriptoribus eloquentissimis.

vt:

Fridericum & Iohannem fratres hodie per literas salutavi. Virgilij & Ouidij Poetarum carmina non possum satis laudare, colere, suspicere. Rhenum & Albim nobilissima flumina nauigio traieci patriæ me reducem exhibiturus.

Cicero. Usq; ad Casarem & Bibulum Consules.

Idem.

Idem. Hæc tu mandata L. Piso & Iu-  
 L. Philippe principes ciuitatis, non dico quo  
 animo ferre, verum quibus auribus percipere  
 potuistis?

Idem. Marcellino & Phillippo con-  
 sulibus, nonis aprilibus mihi Senatus est assen-  
 sus.

Sueton. Fluminibus Rheno & Rhe-  
 dano continetur.

Idem. Tarpeio Diodoroq; cytharedis  
 ducenta, nonnullis centena, quibus minimum  
 quadragena sestertia super plurimas coro-  
 nas auri dedit.

Idem. Eo testamento heredes æquis  
 partibus reliquis Caium ex Germanico, &  
 Tiberium ex Druso nepotes.

CAP. XLIV.

Duobus item vel pluribus adie-  
 ctivis singularibus additur substanti-  
 uum, tam pluralis quàm singularis  
 numeri, sed plurali elegantius vte-  
 ris.

Primum & secundum capita Iohannis  
Euangelista legi, perlegi, poeticis numeris  
astrinxi.

Tricesimo octauo, & tricesimo nono  
capitibus dira nobis vaticinatur Propbeta  
Ezechiel de Turca fatali hoste, & pastatore  
omnium crudelissimo.

Quintam & septimum Tomos operum  
diui Augustini sibi comparauit.

Plin. De Aegyptio & Cretico laby-  
rinthis iam dictum est.

Suetonius. Vnum & alterum consulares  
oblatis prouincijs non ausus est a se dimit-  
tere.

Curt. Quid autem interest, totidem  
sint quod porus habuit, an tria millia cum  
vno aut altero vulneratis.

Cicero. Cuius inter primum & sextum  
consulatum, sex & quadraginta anni inter-  
fuerunt. Hic Cicero duobus adiectiuis ad-  
iunxit substantiuum singulare.

Sic recte dicimus Primam & secundam  
Eclogas siue Belogam nobis enarrauit.



## CAP. XLV.

Vocabulorum prope idem significantium usurpatio, orationis vim & pondus auget, quod fit, cum rem vnâ vocibus multis, quæ synonyma aut ferè synonyma sint, ornate conferimus.

Vbi tamen hoc monuisse non inutile sit, voces eo ordine collocandas esse, vt quæcunque postremo loco ponitur, maiorem, quàm quæ præcessit, vim atq; efficaciam habeat.

vt :

Incredibilem hanc in te dicendi facultatem, laudans, colunt, suspiciunt.

Eruditionem tuam omnes vno ore prædicamus, extollimus, euehimus.

Nihil equidem lego oratione tua elegantius, venustius, diuinius.

Cicero. Defendimus eas leges, quas ipse nobis inspectantibus recitauit, pronuntiavit, tulit.

Idem. Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo definitam locum.

Idem. Poetae cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque praese tulerint, audiuntur, leguntur, discuntur, et inhaerescunt penitus mentibus.

Idem. Pythagoreorum more exercenda memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audiuerim, egerim, commemoro vespere.

Quint. Iucundissima in oratore humanitas, facilitas, moderatio, benevolentia.

Terent. Adeone me ignavum putas? adeone porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum. Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat.

Idem. Pergis ne scelestam mecum perplexè loqui?

Quid ais venefica? Quid ais sacris lega?

Poli. Nihil apud nos inueniens Laurentio, placidius, mansuetius, dulcius, nihil blandius, humanius, benignius, postremo nihil modestius, candidius, amabilius.

## CAP. XLVI.

Omnis oratio acrimoniam maiorem, vehementiam, & imperum habet, per interrogationem quam simpliciter elata.      VE:

Quid in vita hominum amicitia dulcius est?

Studio literarum quid inuenies iucundius?

Cicero. Quousq; tandem abutere Catilina patientia nostra, & patere consilia tua num sentis?

Quanto magis ardet, quam si diceretur diu abuteris patientia nostra, & patent tua consilia.

Idem. Quid est enim stultius, quam incerta pro certis habere, aut falsa pro veris?

Idem. Quis unquam dubitauit, quum in Republ. nostra primas eloquentia tenuerit semper urbanis pacatisq; rebus, secundas iuris scientia?

Idem. Quid turpius, quam sapientis vitam, ex insipientium sermone perdere?

Idem. Quid enim dulcius ocio literato?

Idem. Quid est autem seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursus in suum locum congerere?      Idem.

Idem. Quid est enim per Deos optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius?

## CAP. XLVII.

Quando duo quæ paria sunt, dicuntur particula Tum eleganter geminatur, Si imparia leuius per particulam Cum efferendū & præponendum est, grauius verò cum tum postponendum.

Cui hoc ascriptum volo in rebus imparibus particula tum diungi non inusitatè. præcipuè maximè, verò.

Exempla de rebus paribus:

Odit tum virtutem, tum liberales artes omnes.

Tum optimis moribus tum eruditione eximia præditus adolescens.

Matrem tuam noui tum piam tum honestam matronam.

Rerum imparium, id est, quarum altera minoris, & altera maioris est momenti seu ponderis

Exempla, vt:

Cicero.

Cicero. Plurimum valuisse apud me  
tuam semper auctoritatem, cum in omni re,  
tum in hoc maxime negotio potes existimare

Quintilianus. Cum omni in studiorum  
genere, tum in hoc praecipue bona valetudo,  
quaeque eam maxime praestat frugalitas, neces-  
saria est.

His particulis non inepte, opinor, vte-  
ris in locutionibus, in quibus Germani di-  
cunt: Fürnemlich / vnd sonderlich / vnd  
allermeist. Id quod exemplis manife-  
stius sit, vt:

Alle die vns guts erzeiget haben /  
sollen wir lieben / vnd sonderlich vnser  
Præceptores.

Hanc locutionem Germanicam ita ve-  
nuste & eleganter latinitate donaueris.

Cum omnes bene de nobis meritos ama-  
re debemus, tum maxime præceptores no-  
stros.

Item:

Ich habe dich offte vermanet zu der  
Tugend / vnd stetigen fleiß im Studieren /  
de / vnd fürnemlich in meinen nechsten  
Brieff.

U 5

Cum

Cum sepe alias te ad virtutem & diligentiam in studijs assiduam adhortatus fuim, tum verò in proximis ad te literis id feci.

CAP. XLVIII.

Tantum abest, hic loquendi modus orationi tuæ leporis & elegantiae adijciet plurimum. Postulat autem verbum Coniunctivi modi cum particula *Vt* præposita, cui alia sententia, cum eadem particula annectitur.

vt :

Tantum abest, vt fratrem tuum lethalliter vulnerarim, vt ne manu quidem ipsam attigerim.

Cicero. Tantum abest, vt nostra miremur, vt vsq; eò difficiles ac morosi simus, vt nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.

Idem. Tantum abest, vt scribi contra nos nolimus, vt id etiam maximè optemus.

Hoc loquendi modo commodissimè uteris, vbi Teutonicè dicimus: *Zeh schweige dann!* Vel, *Zeh wil geschweigen.*

Es gehet kein tag für vber / auff  
welchen ich nicht an dich gedencke / ich  
geschweige denn / das du mir gantzlich  
soltest vergessen sein.

*Tantum abest, tui vt oblitus sum, vt  
nullus prætereat dies, quin mihi in mentem  
tui veniat.*

Item :

Dein Bote war wol sechs tage weg  
gezogen / als mir solchs ist fundt gewor-  
den / Ich wil geschweigen / das ich von  
seinem abheide solte gewust haben.

*Tantum abest, vt tui discessus hinc tab-  
ellaris mihi cognitus fuerit, vt iam tum sex  
dies abierit, cum id mihi cognitum fuit.*

CAP. XLIX.

*Æquè pro Tam, Ac, Atq; pro  
Quam, non sine gratia & venustate  
vsurpabunt elegantia studiosi.*

*Particulam Æquè eleganter vsurpabis  
in formulis, in quibus Germani has voces po-  
nunt, Ja so wol / Eben so wol / Sed exem-  
plo id tibi perspicuum euadet.*

Dein

Dem Deuote hat mir seine geistliche  
eben so wol als die b. sohlen.

Hoc ita efferas licebit: Frater mihi  
tuus æquè atq; tibi sua commendauit negocia.

Ceterum Ac, Atq; pro Quàm posita  
præcipuè post has particulas apud bonos re-  
peries authores.

ÆQVE. Cicero. Qui æquè atq;  
ego sunt occupati.

Idem. Nihil æquè desidero atq; bonã famã.

Idem. Letamur amicorum leticia æquè  
ac nostra & pariter dolemus angoribus.

ALIVS, ALITER. Terent.  
Aliud mihi respondes ac rogo.

Cic. Ne alio mense ac fas erat comi-  
tia habentur.

Salustius. Ea res longè aliter, ac rap-  
tum erat, euenit.

CONTRA. Salustius. Vbi videt  
Catilinam contrà ac ratum erat, contendere.

Cicero. Itaq; contrà est, ac dicitis.

PERINDE. Liuius. Perinde atq;  
capta vrbe.

Salustius. Perinde omnes res laudantur  
atq; appetuntur.

FRO



PRO EO. Vlp. Si quis ex testibus  
nomen suum non ascripserit, veruntamen si  
significauerit, pro eo est, si adhibitus non esset.

Idem. Pro eo habendum est, atq; si  
nullo iure factum esset.

Similiter, Similis, Dissimilis, vt:

Cicero. Neq; verò illum similiter,  
atq; ipse eram, commotum esse vidi.

Cesar. Hortatur eos, vt simili ratione,  
atq; ipsi fecerunt suas iniurias persequamur.

SECUS. Cic. Non secus ac si meus esset frater.

Idem. Non dixi secus ac sentiebam.

Idem. Quoniam cæpi secus agere atq;  
nilio dixeram. (cum bit.

factus est, iudex omnium rerum officium in

STAVIM. Vlp. Iudici eorum, statim atq;  
factus est, iudex omnium rerum officium incumbit.

PAR PARITER. Cesar. Pari  
spacio transmissus, atq; in Gallia est, in Bri  
tanniam. (ac viros.

Liuius. Trucidant foeminas pariter

IDEM. Liuius. Ipsa re intellectu  
ros nequaquam idem esse Syracusas ac Leon  
tinos oppugnare.

I V X T A. *Liuius.* Trucidant mer/  
mes iuxta ac armatos.

*Idem.* Absentiam bona iuxta atq; in/  
teremptorum bona diuisa fuerunt.

## C A P. L.

Superlatiuis nominibus, ac aduer/  
bijs, Vel adiuncta particula, venustas/  
tem habet maximam, pro qua etiam  
vsurpare solet loquentium Vulgus.

V T :

*Carmen illud cum vel Momo iudice,*  
*laudem meretur insignem.*

*Hoc vel trimus infantulus scire potuisset.*

*Literæ mihi tuæ gaudio vel maximo fue-*  
*runt.*

*Quintilianus.* Potior mihi ratio vi/  
uendi honestè, quàm vel optimè dicendi vide=  
retur.

*Idem.* Hoc transeo, de quo neminem,  
qui literas vel primis, vt aiunt, labris, de=  
gustauerit, dubitaturum puto.

*Cic.* Turba & barbaries forensis dat  
locum vel vitiosissimis oratoribus.

*Idem.*

idem. Hoc autem vel vno prestamus,  
uel maximè feris, quod colloquimur inter  
nos, & exprimere dicendo senja possumus.

Virg. Carmina vel cælo possunt de-  
ducere lunam.

Terent. Vel hic Pamphilus quoties  
iurabat Bacchidi, quàm sanctè quivis vt fa-  
cile possit credere. CAP. LI.

Quò pro Quanto, Eo & Hoc pro  
Tantò elegantissimè vtuntur, qui dis-  
ligenter locuti sunt, authores. vt :

Quò quisq; est indoctior, cò vel hoc est  
impudentior, pro quanto quisq; est indo-  
ctior, tantò est impudentior. (bo literas

Quò te magis amo, hoc plures ad te scri-

Cicero. Quò minus ergo honoris erat  
poetis, eò minora studia fuerunt.

Idem. Quò difficilius, hoc præclarus.

Quint. Quò quisq; ingenio minus va-  
let, hoc se magis attollere & dilatate cona-  
tur. Vt statura breues in digitos eriguntur,  
& plura infirmi minantur.

Idem. Præceptor quò sæpius monuerit,  
hoc castigabit rarius.

## CAP. LII.

Pronomen Qui, Quæ, Quod elegantia multa ponitur pro Secundū, in formulis, quæ Parenthesis formam quandam habent, vt:

Nihil addubito quin, quæ es humanitate, hanc meam propensissimam erga te voluntatem, sis boni consulturus.

Id est, secundum tuam humanitatem.

Sat scio, te, quæ es dexteritate, negocia mea curaturum diligentissimè.

Paupertatem omnem, quæ tua liberalitas est, opibus & consilio adiutare non cessas.

Diuitias omnes virtutis comparatione nullas, quæ tua est consuetudo, esse iudicas.

Cic. Mortari mi, quæ tua gloria est, puto te malle à Cesare consuli quàm iaurari.

Idem. Si mihi permisses, qui meus amor in te est, confecissem cum heredibus.

## CAP. LIII.

Quò pro Vt aliàs cum comparatiuo, aliàs sine Comparatiuo primi in dicendo nominis vsurpant authores. vt:

Cito

Cibo & potu parce vivendum est, quo sit ingenij acrimonia maior.

Terent. Id amabo adiuta me, quò facilius id fiat.

Quint. Pythagoreis certè mos fuit, cum evigilassent, animos ad lyram excitare, quò essent ad agendum erectiores.

Cic. Quò tolerabilius feramus igniculi desiderijs tui crebris nos literis appellato.

Idem. Omnia faciat, quò propositum assequatur.

Idem. Inducebat Carneades, non quò probaret, sed ut exoneret Stoicis summum bonum esse, frui his rebus.

Terent. Hanc simulant parere, quò Chremetem absterreant.

CAP. LIIII.

Ablatius Qui pro Quo aut Quomodo non inusitate ponitur apud melioris notæ scriptores, ut:

Qui vales? Qui scis patrem venisse tuum?

Cic. Qui potest igitur habitare in vita beata summi mali metus?

Idem.

Idem. Qui verò probari potest, ut sibi mederi animus non possit, cum ipsi medicinam corporis, animus inuenerit.

Idem. Qui cum amantissimè & coniunctissimè viuebat.

Quintilian. Dubijs probari dubia qui possunt?

Terentius. Insanis, qui istuc facere Eunuchus potuit.

Idem. Qui ille poterit esse in tuto?

Idem. Qui isthac tibi incidit suspicio?

CAP. LV.

Vtpote, Quippe, & Vt particulae ante Relatiuum Qui, Quae, Quod collocatae eruditissimè pro Quia vel Quoniam vsurpantur in formulis causalibus. ut:

Propediem moliri abitum hinc cogar, vtpote qui non ignorem me hic sine nummis vel vnum diem viuere non posse, id est, quia vel quoniam non ignoro.

Crebras commessiones cane peius & angue odit, quippe qui, velut qui probè norit, quantum malorum agmen ille secum trahant.

Qint.

Quint. Nec ignoro quos transeo, nec utiq; damno, ut qui dixerim, esse in omnibus utilitatis aliquid, pro, quia dixi.

Cic. Lelius quidem frater eius, ut postea qui peregrè depugnauit, familiam ducit.

Col. Quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam conualescit.

Eras. Non est huic habenda fides, quippe qui bis peierarit, id est, quoniam vel quia bis peierauit.

C A P. L V I.

Polita & elegans quoq; oratio est illa, in qua Relatiuum Qui, Quæ, Quod cum verbo Est, aut alijs interdum verbis, omisso antecedente aliquid effertur. vt.

Cum dicit. Est aliquis qui te alloqui cupit, & Fuerunt aliqui qui amicitiam nostram dissoluere conati sunt. Eruditius id multo eloqui poteris, si antecedens aliquis omittas, & Relatiuum qui cum verbo tantum efferas, hoc modo: Est qui te alloqui cupit, & Fuerunt qui amicitiam nostram dissoluere, conati sunt.

Cicero.

Cicero. Sunt qui discessum animi à corpore putent esse mortem, sunt qui nullum censeant fieri discessum, sed unam animam et corpus interire.

Idem. Sunt qui quod sentiunt, etiam si optimum sit, tamen inuidiæ metu non audent dicere.

Idem. Nisi meo in Rempubl. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus.

Idem. Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui querunt, quid velint, si satisfactum eis non sit, se velle decumbere.

Gellius. Misit qui amicos rogaret.

Tibull. Vidi ego qui iuuenum miseros  
 ausisset amores, Post Veneris unclis subdire  
 colla senem.

C A P. LVII.

Multum veneris illud quoque dicendi genus orationi conciliabit, cum duo activa verba vni Nominatiuo per Coniunctionem copulata, sine copula efferantur, verbo priori in participium præteriti temporis mutato.

VI:

Vicinum



Vicinum tuum heri pecunia omni exusti  
 isti, & domo eiecisti. Id hoc modo venu-  
 stius effers: Vicinum tuum pecunia omni  
 exutum domo eiecisti.

Item: Epistolam hanc à Zoilorum  
 morsibus vindicatam defende, pro vindica et  
 defende. (obruis puppes.

Virg. Incute vlm ventis, submersas

Salust. In his erat Fulvius Senatoris  
 filius, quem retractum est itinere parens  
 necari iussit.

Idem. Iugurtha in primis Adherbas-  
 lem excruciatum necat.

Valerius Max: Verberibusq; effectam  
 necari iussit.

Idem. Protinusq; dentibus abscissam  
 & commanducatam linguam in os eius ira  
 patens expuit.

### CAP. LVIII.

Culta admodum & lepida dicen-  
 di ratio est, in qua voce Malum pro  
 adverbio interpositæ indignationis  
 utimur, rem quandam detestandam  
 abominandamq; dicturi.

Signat

Significat autem hæc vox hac ratione  
vsurpata idem quod Virgilio *Nefas*, & vsur-  
pari poterit, vbi Germanice dicimus:

*Was den Teuffel/ Was die plage.*

ut:

*Quæ, malum, est ista effrenata tua im-  
pudentia impurissime? Quid, malum, amici  
persona contegis inimicitias?*

*Terent. Quas, malum, ambages mihi  
narrare occipit?*

*Idem. Quid tua, malum, id refert?*

*Idem. Quid tua, malum, me tandem  
censes velle assimularier?*

*Cicero: Quæ nam, malum, est ista  
voluntaria seruitus?*

*Idem. Quæ, malum, est ista tua audax  
cia atq; amentia?*

*Idem. Quæ nam, malum, ista est,  
ratio, semper optimis causis veteranorum  
nomen apponere?*

*Liuius. Quid, malum, est imperan-  
tibus nolle parere?*

## CAP. LIX.

Patriculæ Quid & Quod ambæ  
in oratione collocatæ sine vllō me-  
dio, mirificam venustatem pariunt.

Utinur autem his dicturi rem ponderis  
maioris quàm fuit, quæ præcessit, Non in-  
eptè opinor, his uti possis, ubi in patrio ser-  
mone dicimus.

Ja, das noch mehr ist/ ut. Ich hat-  
be dir geholffen wo mit ich kondte/ mit  
rath/ Und that das doch mehr ist/ meine  
eigen Kleider vund Geld habe ich dir  
nicht geweigert.

Hanc locutionem latinissimè per has  
particulas efferes. ut:

Quibuscunq; potui rebus tibi præstò  
fui, operâ, consilio, quid? quòd ne vestes  
quidem proprias, & pecuniam tibi vnquam  
denegauì.

Quem nuper tantis laudibus vexisti ado-  
lescentem, comperi in Dialecticis oppidò  
rudem, quid? quòd ne nomina quidem decli-  
nare, & verba exactè coniugare nouit.

Cic. Quid? quòd sapientissimus quisq;  
animo æquissimo moritur?

Idem.

Idem. Quid est quod salus sociorum  
summum in periculum ac discrimen vocatur?

Idem. Quid est quod tecum nunquam  
essem sine cura.

Idem. Quid est quod eodem tempore  
desidero filiam.

### CAP. L. X.

Formulae in quibus imperiti has  
voces Propter, Quem, Quam, Quod,  
aut Ob quem, ob quam, ob quod,  
vsurpant, ornatiores erunt, si harum  
vorum loco aduerbijs Cur, Quare, &  
Quamobrem vtamur. VI.

Allepidus sermo est.

Quam affers causam propter quam non  
interfueris lectioni?

Elegans est.

Quam affers causam quamobrem, vel  
cur, vel quare non interfueris lectioni?

Item:

Multa mihi fuerunt obstaculo, propter  
quae longiores ad te literas dare non potue-  
rim.

Lati.

Latinus est :

Multa mihi fuerunt ostaculo, quamobrem longiores ad te literas dare non potuerim. Sed exempla ex vni. o latin. tatis parente Ciccone adducamus.

Quapropter.

Cicero. Multa mihi veniebant in mentem, quamobrem vnum laborem tibi etiam honori fore putavi.

Idem. Deinde nihil rationis affers. quamobrem si libertas nullo modo adimi possit ciuitas possit.

Idem. Nulla res est, quamobrem istam nolim ex paternis probris ac vitijs emergere.

Idem. Neq; adhuc causam vllam excogitare potui, quamobrem commiserit.

Idem. Multa signa dederat, quamobrem quibus responsurus non videtur, mentio de lege nulla fiebat.

## Cur.

Cicero. An vobis esse aliam causam  
vllam putatis, cur in tantis premijs eloquens  
tie, tanta voluptate dicendi, tanta laude,  
tanta gratia, tanto honore, tam sint pauci,  
semperq; fuerint, qui in hoc labore versen-  
tur.

Idem. Quod si tibi nulla causa est,  
cur hunc miserum tanta calamitate affici  
velis.

Idem. Sed erant cause, cur hoc tem-  
pore istis esse nollem.

## Quare.

Satis mihi multa verba fecisse videor,  
quare hoc bellum esset genere ipso necessariū

## CAP. LXI.

Quoties sum verbo Curo infini-  
tius alicuius verbi passius efferen-  
dus est, tum is in participium futuri  
in Dus, eleganter commutatur ab  
authoribus probatis.

vt:

vt :

Librum tuum, cum vsus fuero referens  
dum tibi curabo, pro referri tibi curabo.

Cicero. Funus ei satis amplum facien-  
dam curavi.

Idem. Negotium conficiendum cures.

Idem. Hunc Fabricius reducendum  
curavit.

Idem. Hunc tu si mihi restituendum  
curaris, non possum dicere quam mihi grati-  
tudo futurum sit.

Idem. Quos tamen ipsos, si quem cui  
recte committam inuenero, curabo ad te  
perferendos.

Idem. Eò factum est, ad te Lupus sine  
meis literis rediret, cum tamen curasset tuas  
ad me perferendas.

Valerius Max: Mero somnoq; sopitos  
plaustris in urbem deuchendos durauerant.

Idem. Ut comperit unde aduecti essent,  
reportandos inq; templo Iunonis collocan-  
dos curavit.

## CAP. LXII.

Quis, Quæ, Quod, & casus qui inde nascuntur, non sine splendore phrasis, cum verbo Nescio collocantur.

vt:

Has literas, nescio quas, hoc tempore boni consulas rogo. Vidi ante ades tuas adolescentem, ne scio quem, qui te alloqui cupiebat.

Amare te virginem, nescio quam, in vicinia à probata fidei accepi hominibus. Lectus literis tuis pater nescio quid, sibi non probari in ijs dicebat.

Ovidius. Spem mihi, nescio quam, vultu promittis amico.

Terentius: Ex alio viro, nescio quo puerum natum.

Idem. Homo se fatetur vi in via virginem, nescio quam, compressisse.

Cicero.



Cicero. Quae magno anima & claro, fortiter excellenterq; gesta sunt, ea, nescio quo modo, quasi pleno ore laudamus?

Idem. Serpit, nescio quomodo, per omnem vitam amicitia.

Idem. Plus, nescio quo pacto, videtur habere grauitatis.

Idem. Qualem fuisse Athenis Timonem, nescio quem, accepimus.

Terent. Nescio quod magnum malum me celas.

### CAP. LXIII.

Aurea quoque dicendi elegantia illa mihi esse videtur, cum verbum idem, quod in praecedenti clausula ponebatur, per coniunctionem Autē vel Porro repetimus.

vt;

Te etiam atq; etiam rogo, vt quā pri-  
mū, si vnquam poteris, ad me venias, po-

teris autem facillime si Hieronymum fidelissimum fratrem meum, tuique amantissimum itineris comitem tibi adiunxeris.

Bona adolescentes indole præditi operam quam possunt maximam adhibeant, ut à primis statim annis optima quæque discant, ac strenue proficiant, proficient autem si discendi cupidi fuerint.

Ticero. Quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues his temporis quantum poteris, poteris autem quantum voles.

Camerarius: Nam si quid ego possam iudicare, possam autem aliquantulum, ut par est, in his studijs ab meunte ætate versatus, hæc profecto euitio Fabriciana & alijs omnibus præstat, & singularem laudem atque prædicationem meretur.

Erasmus. Cui quidem non minus faueo, quam diligo. Porro tum diligo effusissime tum faueo impensissime.

## CAP. LXIII.

Orationes in quibus semidoctum  
vulgus dicit, Non est opus, Oportet,  
Non oportet, vel, Quid est opus? hoc  
Tulliano flosculo venustiores effi-  
cies, videlicet, si vulgaribus hisce o-  
missis, proq; ijs non est quod, nihil  
est quod, & quid est quod? vsus fue-  
ris,                    vt :

Vulgaris sermo est :

Non est opus, vt mihi prolixè agas gratias.

Latinior est.

Non est, quod mihi prolixè agas gratias.

Vel :

Nihil est, quod mihi agas gratias.

Item.

Quid opus est, vt ob rem tam leuem,  
tantam excites Tragoediam?

Elegan

## Elegantior erit.

Quid est, quod ob rem tam leuem, tan-  
tam excites Tragoediam.

Sic dicimus: Nihil est quod vereare te  
ob id in odiam hominum incurrere, pro, non  
opus est, vt verearis.

Non est, quod ex labore vno, geminum  
tibi efficias, id est non oportet, vel non est  
opus, vt efficias.

## Ciceronis exempla hæc sunt:

Cicero. De familia liberata, nihil est  
quod te moueat.

Idem. Epistole copiose & suauiter  
scripte, nihil est quod multa respondeam.

Idem. Quare nihil est, quod ex tan-  
to comitatu virorum amplissimorum me vnū  
extrahat.

Idem. De Britannicis rebus cognoui  
ex tuis literis, nihil esse nec quod metuamus,  
nec quod gaudeamus.

Idem.

Idem. Nihil est quod me inuites.

Idem. Nihil est quod vereare, ego enim  
ne pilo quidem minus te amo.

Idem. De Apuleio, quid est quod la-  
bores?

Idem. Tullum scribam nihil fuit quod  
appellares.

Idem. Nihil est scilicet, quod de Cot-  
ta cogitemus.

Idem. Dignitatem quidem illam con-  
sularem fortis & constantis nihil est quod  
cogitemus.

Idem. Excruciat me valetudo Tullie  
nostræ, de qua nihil est, quod ad te plura  
scribam.

Idem. De eruditione eius quod labo-  
res, nihil est.

Terent. Nihil est quod dicas mihi,  
querebam alium.

Idem. Nam nihil est illic quod more-  
mur diuitiis?

Virgilius. Si vitulam species, nihil est  
quod pocula laudes.

Idem. Nihil est quod dicta retrahent,

Ignavi Aeneade.

Horatius. Non est quod multa loquamur.

CAP. LXV.

Lepidus quoque dicendi modus est, quo eruditiores utuntur, dicentes pro Tam diu Donec, Tantisper dum, vel Dum solam particulam ponentes, qua frequenter utitur, Cicero, flos & decus eloquentiae Latinae.

VI:

Tam diu domi maneat, donec ego te in literarum ludum iturus, conueniam. Elegantius id hoc efferes modo: Tantisper domi maneat, dum ego te in ludum literarium alloquar.

Tantisper in Grammatices studio perseverabis, dum in architectam sermonis atque adeo absolutum artificem euaseris.

Tantisper ipse discas, dum docere alios possis.

Terentius. Ego te meum dici tantisper volo, dum quod te dignum est facis.

Cicero

Cicero. Tibi censeo latendum tantu[m] sper ibidem, dum efferveſcat hæc gratulatio, et ſimul dum audiam, quemadmodum negotium confectum ſit.

Idem. Sed ad properationem meam intereſſe, non te expectare dum ad locum venias.

Idem. Scribis in Italia te moraturum, dum tibi literæ meæ veniant, ſi per hoſtem licet.

Idem. De ſororis autem tuæ filijs, non expectavi Brute, dum ſcriberes.

Idem. Non expectavi dum mihi à te literæ redderentur.

Idem. Expecta amabo te dum Attis cum conueniam.

Idem. Quid expectem, dum de te quinque et ſeptuaginta tabellæ diripiantur.

Idem. An ego expectas, an dum ab inferis illo Malleolus exurgat?

Idem. Nolite expectare dum omnes obeam oratione mea ciuitates.

Idem. Num expectas dum te ſtimulus fodiam?

Idem.

Idem. Ut ibi esset tantisper, cum culeus, in quem coniectus in profluentem verberetur, compararetur.

Liuius. Expectate dum Consul aut Dictator fiat.

Idem. Nec expectent dum à Roma legati veniant.

Idem. Moratus dum milites ad prædam discurrerent.

Idem. Moratus dum imperatores consuleret.

Idem. Expectantes dum ab hostibus clamor inciperet.

Idem. Paucos morari dies dum socij venirent.

Idem. Nolite expectare dum fugiant.

Idem. Paucos moratus dies, dum se copie adsequerentur.

Idem. Expectate dum vobis obuia veniant.

Virgilius. Tytiric dum redco, brevis est via, pasce capellas.



## CAP. LXVI.

Coniunctio & geminata pulcher-  
 rimum habet vsum, sed in rebus di-  
 uersis geminatio erit venustior.

vt:

Cum dicit: Diligentia honores gignit  
 & continet, Hic ornate multum coniunctio-  
 nem & verbo quoque seu nomini prioris  
 clausulae praeponas, hoc modo.

Diligentia honores & gignit & con-  
 tinet.

Te appellant homines sapientem, &  
 existimant.

Te & malum esse dicunt, & sentiunt.

Te & probum putant, & loquuntur.

Isti & habentur mali, & appellantur.

Studio literae & parantur & conseruantur.

Pili, & morem geres, & tuae salutis consules,  
 si te studiosum prestiteris.

## CAP. LXVII.

Curam & diligentiam contextu

ORATIO

orationis requirunt particulae Quod  
Et Ve, sunt enim cum principales con-  
sulæ, tum verò sæpissimè recurrunt.

Facilis autem hic lapsus est pueris Quod  
pro Ut, seu Ut pro Quod, usurpantes. Id  
quod eò illis usu venire crediderim, quod  
utramq; particulam per Teutoniam vocu-  
lam. Das! exponere solemus. Sit igitur  
hæc prima regula.

Quoties Ut finale causam, hoc est,  
rem cuius gratia aliqua sit, significat, con-  
iunctivum adsciscit.

ut:

Terentius. Vbi inueniam Pamphilum,  
ut metum ei, in quo est, adimam.

Cicero. In eo vis maxima est, ut simus  
qui haberi velimus.

II.

Ut, post verba iubendi, imperandi, tis-  
mendi, petendi, adimendi & deliberandi,  
coniunctivum adsciscit.

ut:

vt :

Timeo vt ferre possis. Consul petit,  
vel iubet, vel imperat, vel consulit vel suadet,  
vt negocium nulla interposita mora, consi-  
cias.

III.

Post particulas Tantus, Talis, Tam,  
Adco, Tot, Ita, Vt non Quod ponendum est.

vt:

Talis vel tantus est nebulo vicinus tuus,  
vt, verbis describi satis nequeat.

Tam impudens est, vt vel falsissima  
queq; pro testimonio dicere non erubescat.  
Quamobrem sic plerisque est odiosus, vt ad  
mentionem eius despuant.

Præterea ita vixit hætenus, vt ne te-  
runtium quidem reliquam habeat.

In id genus locutionibus si Quod posue-  
ris, in Solæcismi fœditatem incidet, quod  
diligenter pueris obseruandum censeo.

Quod

## Quod.

Hæc particula euentum rei notat, & Indicatiuo modo, quoties præsentem actionem significat, communissimè adhæret, Coniunctiuo autem, quoties præteritum negocium significat.

vt :

Ideo nulli places quod tibi nimium places.

Ob id te sepius reprehendo, quod impensus diligo.

Quod benè paces gaudeo.

Cicero. Bene facis quod me adiuuas.

Idem. Illud extremum est, quod rectè viuendi ratio meliores efficit.

Hæc de præsentis negotio dicuntur, ideoq; per indicatiuum efferuntur, sequentia verò per præteritum, & ob id per coniunctiuum rectè efferes.

vt :

Quod redieris incolumis gaudeo.

Quod

Quod res tibi ex animi sententia eue-  
nerit letor.

Quod convaluerit pater, summoperè  
gaudeo.

Cicero. Gratissimum mihi est, quod  
quieveris.

**FINIS.**


Statim ut,  
consequantibus et  
quibus dicitur.

Cic. Attica: Literas scripsi horu x.  
Cavalib., Atini ut tuas legeram.



MAGDEBURGI  
Apud Iohannem Francum  
Bibliopolam extant.

ANNO  
M. D. XCIX.






in Gott








*Faint, illegible handwriting at the top of the page, possibly a title or header.*

*Faint, illegible handwriting in the middle of the page.*









(X 299 6657)

Sh.

17  
26





**ELEGANTIA  
RVM LATINI SER-  
MONIS PRÆCEPTIONES**  
*si quot in gratiam studiose Iuuentutis colle-  
cte, cum Ciceronianis tum aliorum bonorum  
authorum exen plis, illustrate, omnibus in-  
corrupte propriissimæq; latinitatis  
cupida viles & necess  
sarie.*

AVCTORE.  
**M. GEORGIO VOGEL-  
MANNO.**  
*Legisse iuuerit.  
 Quintilia. lib. 10.  
 Curandum est vt quam optimè dicamus.*

**MAGDEBURGI**  
 Apud Iohannem Francum Biblio-  
 polam extant.  
 ANNO 1599.

